

dimus<sup>20</sup> mulieribus electionem etiam constante matrimonio, si male res maritus gubernet, et accipere eas, et gubernare, et secundum decentem modum, et sicuti nostra constitutio<sup>21</sup> dicit: si quidem suæ potestatis, et perfectæ ætatis mulier est, sibi culpam inferat, cur mox viro inchoante male substantia uti non percipit, et non auxiliata est sibi: (sic enim habitura erat in collationis ratione proprias res undique, et sine deminatione, et in ea minus tanto collationem facere.) — § 1. Sin autem sub potestate est, et sine patris voluntate hoc agere non poterat, si quidem adiens patrem hoc dixit, et contestata est ut consentiret ei, et res percipere etiam constante adhuc matrimonio, et secundis temporibus eas servare, et hoc egit pater, etiam rursus hic integra habebit sua jura, rebus ei suis servatis: cum etiam antenuptialis donationis res vindicare etiam constante matrimonio dederimus ei, et posteriori periculo omni liberari. Sin autem illa quidem hæc contestata est patrem, ille autem, neque movit, neque consensit, et neque dedit licentiam filix hoc agere, non eam periculum pati, sed et conferrî nudam actionem contra inopiam mariti res, et fortunam esse communem, et ipsi, et ejus fratribus: non tamen ex collatione damnificari: sed competentem ei partem dari ex paternis rebus: actionem illa quidem conferente: ab omnibus autem movendam fratribus, et hoc proficiendo universis ipsis, quod fortunæ eventus dederit. Sed si quidem pater in talibus casibus obtulerit dotem, et de ejus substantia sperari futura est collatio, hoc valere. Si vero major forte oblatio fuerit, et collatio circa illam vertitur spem<sup>22</sup> ex patris inobedientia neque movere volentis, neque permittentis ei movere: tunc etiam per semetipsam filiam movere, et non habere occasionem, eo quod non potuerit movere, et sibi auxiliari, et futuræ læsionis ex inopia viri adimere metum. Et novimus Ulpianum<sup>23</sup> sapientissimum talia quæsisse: et inope viro comperto, juvisse mulierem, et in quantum vir idoneus est collationem ei fieri voluisse. — § 2. Sed quoniam in multitudine legum existentium antequam eas constitueremus, et ad conspicuum perducere ordinem, plurima et necessaria ignorabantur: et decreta quæ contraria vellent, a iudicibus posita sunt: ne ulla seductio circa hoc fiat, propterea necessarium putavimus: proinde etiam in medio nostræ positæ constitutionis<sup>24</sup>, quæ etiam constantibus matrimoniis mulieri auxiliatur, ad meliorem et magis consequentem viam venientes præsentem ponere legem. Ut autem non per partes enumeremus personas, in quibus valere eam oportet, generali sermone decernimus. Quapropter in quibus est collationis ratio, in his et constitutionem valere, sive pater, sive avus, sive mater, sive avia, aut ascendentium aliqua sit persona.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram insinuatam sunt legem, tua celsitudo per programmata propria, manifesta facere universis solenniter procurat, et in perpetuum servare festinet. — Dat. 18 kal. decemb. CP., DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno XIII, AIONIS V. C. COSS.

## TIT. X.

NEQUE VIRUM QUOD EX DOTE EST, NEQUE MULIEREM EX SPONSALITIA LARGITATE LUCRUM PROPRIUM HABERE: SED SERVARE DOMINIUM SUIS FILIIS, VEL SI AD SECUNDAS NUPTIAS NON VENIANT, USU SOLO IN LUCRO CONSISTENTE: ET UT EX REPUDIO TRANSIGENTES NUPTIAS, LUCRANTES AUT DOTE, AUT ANTE NUPTIAS DONATIONEM, ET IPSIS SIMILITER DOMINIUM SERVENT FILIIS: USUM HABENTE PERSONA COGENDA FILIOS ALERE; SI VERO BONA GRATIA SOLVANTUR NUPTIÆ: ET VIDEANTUR OCCASIONE DAMNI DETINERI QUÆDAM: ET HAC ARTE PERIMENDA QUÆ DETINENTUR, ET FILIIS SERVANTUR.

## NOVELLA CONSTIT. XCVIII.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni gloriosiss. sacrorum Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

## PREFATIO.

Ea quidem quæ semper idem se habent, legibus non egent variis, simplicitatem, et quod sine ullus diversitatis mixtura est, continue pos-

20. L. 29. l. 30, in fin. C. de jure dot. ad l. 24. D. solute matrim. — 21. d. L. 29; L. 30, in fin. — 22. L. 1. § 21. D. de collatione. — 23. L. 1. § 6. D. de dot. collat. — 24. d. L. 29, C. de jure dotium.

sidentia, et utentia legibus sempiternis ac sacris nulla correctione egentibus. Quod autem secundum nos est in redundationis comprehensum tumultu, gubernativa indiget sapientia, ex legibus superveniente negotiis. Unde quoniam nos neque ad judicia segnes, multis interpellantibus causis, singulis quidem medemur: comprehendentes autem unamquamque questionem dubitatum a nobis et iudicibus nostris, per legislationem quæ oporteat agi, generaliter in unaquaque questione exponimus. Itaque illud ante omnia visum quidem est forsitan esse priscis legislatoribus non sine quadam divisione: nobis autem putatum est bene se habere temperata lege ad simplicitatem causam transponere, et nunc inchoante, et nihil perscrutante horum quæ prius terminata sunt: quoniam et nobis ipsis pridem non displicentibus de hoc ipso legibus, visa sunt meliora secunda. Nuptialibus namque lucris si quidem aliquis conjunctorum servaverit pudicitiam manentibus apud ipsos valide, et eorum substantias infixis: si vero veniat ad alterius personæ conjunctionem ex prioribus nuptiis filiis servandis, simplici quadam et meliori lege duplicem hanc placuit interimere. Si enim secundis mixta nuptiis mulier, aut etiam vir forte ad secundam respiciens conjugem: quæ ex morte lucrata sunt aut etiam ex repudio forte servat filiis, (cum utique forsitan et alii erunt eis filii ex nuptiis sequentibus) quomodo justum est cecis, qui in solis filiis legitimis moriuntur, non servare eis lucra ex mortuis eorum parentibus, sed aliis ea transmittere? Scilicet quid erit pretiosius filiis parentibus non ingratis?

CAP. I. Ut proprietates dotis et propter nuptias donationis serventur filiis.

Propterea<sup>1</sup> igitur sancimus, si mulier moriatur, et eveniat lucrum fieri viro, dotem hanc omnino servare<sup>2</sup> filiis, sive ad secundas veniat nuptias, sive etiam non. Et ex diverso si mortuus fuerit vir, mulierem antenuptialis donationis lucra propriis filiis servare: usum quidem lucrorum ex nuptiis apud eos constitutum, proprietatem vero eorum filiis omnino servandam: his quæ super parentibus ad secundas venientibus nuptias sancta sunt, in suo ordine servandis: et hoc valere, matrimoniis quocunque modo solutis, ab hodierna die, et in omne quod sequitur: et his matrimoniis quæ jam soluta sunt quidem sive morte, sive quolibet alio modo, adhuc autem pendente, eo quod unus superstes sit. Nam si ambo defuncti sint, hoc hereditibus non damus: sed tanquam semel terminatum, veteribus relinquimus legibus: illud certum est, quia dum semel fuerit filiorum, et proprietatem lex deferens eis præstiterit: tunc in successione et aliis accessionibus, ita et in his erit, sicut et in prioribus sancitum est filiis, qui propter secundas nuptias parentum, lucrum aliquod ex legibus sunt politi.

CAP. II. Ut repudio vel bona gratia soluto matrimonio, id quod alteri personæ cautum est, filio suo conservet, et de alendis liberis a parentibus.

Illud quoque ex quadam causa denunciatum nobis ad legislationem deducere existimavimus oportere. Quia enim transegerunt quidem inter alterutros et vir et uxor, filios autem qui eis erant ex matrimonio, despexerunt eos ambo, et circumibant medicantes: propterea judicavimus vehementiori quidem forte, sed convertenti ad melius se habens, uti lege: ut timore scilicet penarum quiescant, aut lucrorum causa injustorum matrimonia dilacerare, aut etiam proprios negligere filios. — § 1. Si enim omnino aut per transactionem, aut per modum alium separaretur matrimonium: si quidem non sunt filii, maneat priora in suo ordine. Si vero filii existentibus fiat hoc: et neque filios erubescerent, dent tamen occasionem spontaneam et transactionis, et per consensum factæ, aut etiam invitæ, forsitan peccante viro, aut committente digna amissione antenuptialis donationis, aut muliere digna casu dotis: neque vir dotem lucratur, neque mulier antenuptialem donationem: sed repente casu procedente aut dotis, aut antenuptialis donationis, proprietatis lucrum mox ad communes veniat filios, et eorum fiat: usu solo apud transigentes manente: cogendo tamen eo qui usum lucratur, filios ex eo matrimonio et alere<sup>3</sup>, et alia omnia ministrare eis secundum lucratæ substantiæ mensuram. — § 2. Novimus autem aliquid etiam tale factum, et quia bona gratia viso dissolvi matrimonio, et recedere quidem antenuptialem donationem ad eum qui conscripsit, dotem vero ad eam quæ obtulit: tamen occasione quasi damni, et aliarum causarum, auri quantitas non mediocri utrique data est, parti, ut non videretur hoc nuptiale lucrum, neque servaretur filiis secundum de hoc leges: sed extrinsecus accedens, quasi ex alia causa lucrum fieret ejus qui accipere hoc egit. Ideoque ex hac arte factam curantes læsionem, sancimus, ut vel si quid tale fiat, et adveniat alteri aliquod lucrum: et hoc similiter servari filiis: proprietate

Tit. X. — 1. Authent. Uxor, C. de secund. nupt. — 2. Abrog. N. 22, c. 20, § 1. L. 8, in fin.; L. 6, in fin.; L. 8, § 1 et seqq., C. de secund. nupt.; vide tamen N. 127, c. 3. — 3. N. 127, c. 2.

quidem mox veniente ad eos, usu vero solo apud lucrantem constituto. Sic abstinebunt omni vitio, sic omni desiderio irrationabili: sic nec invidi, nec sponte, suis nocebunt filiis: sed erunt temperati, maxime quidem circa suam casitatem: deinde etiam circa matrimonii affectum, quem competens est habere eos qui semel conjuncti sunt alterutris. Res enim est et castitate plena, ut quod eis parentes sponte non servant, hoc post Deum (qui est communis omnibus pater, dicimus autem qui imperium habet) per legem iis, qui a parentibus læsi sunt, servet: ut hic quoque ea quæ de lucris et successione pridem disposita sunt, teneant: nihil enim eorum innovamus, præter illa sola quæ expressim in hac lege conscripsimus.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem tua celsitudo operi effectuique tradere festinet. — Dat. 18 kal. Jan. Constantinop., imp. DN. JUSTINIAN. P. P. Aug. anno 12, JUST. V. C. COSS.

## TIT. XI.

## DE REIS PROMITTENDI.

## NOVELLA CONSTIT. XCIX.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

## PREFATIO.

Novimus pridem ponentes legem<sup>2</sup> de electione mandatorum, et fidejussorum, et sponsorum, multas habentem et in commune utilis nostris subjectis legislatione. In præsentem vero et aliud novum visum est egere quadam explanatione et incremento, non ex genere, neque usu imperfecto et inutili consistente.

## CAP. I.

Si quis<sup>3</sup> enim alterna fidejussione obligatus sumat aliquos: si<sup>4</sup> quidem non adjecerit oportere et unum horum in solidum teneri: omnes ex æquo conventionem sustinere. Si vero aliquid etiam tale adiciatur, servari quidem pactum: non<sup>5</sup> tamen mox ab initio unumquemque in solidum exigi: sed interim secundum partem qua unusquisque obligatus est: cedere autem eum et contra reliquos actionem, si et idonei sunt, et in eo loco, et si hoc ita se habere videatur: si quidem idonei sint, et præsentem inveniantur, illos periclitari complere, (singulos in propria<sup>6</sup> parte) quod sub alterna promissione creditum est, aut ex quo omnino obligati sunt, et non commune debitum, proprium cuiuspiam fieri onus. Si vero minus idonei se habere reliqui videantur, sive omnes, sive quidam: sive in partem, sive in solidum, sive absentes forte: in illud tenere, quod accipere ab aliis non potuit. Sic enim et illis servabitur pactionis modus, et nullum sustinebit damnus actor, licet aliquid inter se illi pepigerint ignorante isto qui habet eos obligatos: et unusquisque tenebitur in id quod ab initio scripserit, artibus aut dolis, aut transactionibus prævariari quæ constituta sunt, non sinendus. — § 1. Sin autem in iisdem commoentur utriusque aut omnes locis: sancimus negotii iudicem deducere illos mox, et communiter examinare negotium, communiter autem inferre sententiam. Sic enim et rei omnes obligabuntur: et substantiæ eorum qualitas examinabitur: et debitum similiter quidem secundum justitiæ, similiter autem secundum legum ordinem procedet. — § 2. Si autem non administrator sit cause iudex, sed alter aliquis, damus licentiam aut hic competentis iudici interpellationem suscipientem, aut in provinciis, his denunciatis clarissimo præsidem, aut competentis iudici cogere per suum officium et illos interesse liti, et partem ejus fieri: ut nullum impedimentum huic nostræ legi fiat, his omnibus incipientibus in contractibus sequentis temporis, et ab hujus legis dispositione: quod autem ante eam præterit, positus pro his relinquimus legibus.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, tua quoque celsitudo operi effectuique contradere festinet. — Dat. 18 kal. Jan. CP., Dom. JUSTIN. P. P. August. anno 13, AIONIS V. C. COSS.

Tit. XI. — 1. Lib. 5, Inst. 17; Lib. 45, E. 2; Lib. 8, c. 40. — 2. N. 4. — 3. Authent. Hoc ita, C. de duob. reis. — 4. L. 11, in fin. D. d. l. 1. — 5. L. 26, L. 28, D. l. 10, § 1, C. de fidejussorib.; abrog. L. 47, in fin. D. locati; L. 2, L. 3, § 1, D. l. 2, L. 5, C. de duob. reis. — 6. L. ult. C. de constituta pecun.; L. 26, D. § 4, Inst. de fidejussorib.

## COLLATIO OCTAVA.

## TIT. I.

DE TEMPORE NON SOLUTÆ PECUNIÆ SUPER DOTE<sup>2</sup>.

## NOVELLA CONSTIT. C.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

## PREFATIO.

Omnes pecuniæ non numeratæ replicationes subjectas in aliquibus casibus non examinatas nostræ reliquerunt leges: sed prolixitatem earum et effusionem abbreviavimus, ne sua negligentia aut calliditate forsitan negotiis fruatur homines, et causas præbeant aliis: non enim sub æqualitate semper probationes erunt eas exhibere volentibus: multa quoque tempus refutat. Quapropter beneficientes abbreviavimus in quibusdam casibus pecuniæ non numeratæ querelas, quas licet ex iis quæ a nobis jam sancta sunt, colligere. Quia enim omne tempus matrimonii dabatur viris, donec matrimonium constaret, queri de non data dote: interpositio quoque major facta est etiam post mortem virorum, ut et post repudium intra annum daretur querela: ideo existimavimus brevi et compendiosa lege velocem facere et pecuniæ non numeratæ super dote querelam, et liberare a probatione mulieres in talibus ex longo tempore.

## CAP. I. De dote non numerata.

Si ergo annis duobus solummodo habeat aliquis uxorem, aut etiam his temporibus minus, et non accipiat dotem: nihil ex taciturnitate vir lædatur: neque heredes viri, licet tacuerit ille, sed intra<sup>3</sup> annum alium querela moveatur; brevis enim matrimonii ad hanc nos legislationem vocat. Si vero majus biennio tempus, minus autem decennio matrimonium protendatur: damus marito queri, et dicere non illatam sibi dotem aut in partem aut in solidum: et si hoc fecerit transmittere querelam, semel marito querente, et muliere quia dedit non probante. Si autem neque intra decennium queratur, taciturnitate mariti auferimus querelam; neque ei post decennium hoc agere sinemus, nec annum dantes ulterius hereditibus ejus; sitque in hoc non nostra adversus aliquos pœna, sed libertatis subjectorum diligentia. Ubi enim licet in proximo sic tempore (decennii dicimus) proponere querelam: si tacere elegerit, palam est voluisse, vel si non accepit dotem, omnino eum, aut suos reddere heredes: his valentibus et si repudio solvi contingat matrimonium: in nullo discernentibus nobis, sive mulier tanquam dotem offerens conscribat, sive pater, sive alter quispiam pro ea: tempore in omni casu tali, sicuti prædiximus, extendente suos effectus, et dante vel perimente querelam. Contestationem<sup>4</sup> vero dicimus non in sermonibus solum: (sæpe enim indignationis, aut alterius incidens occasio, talia quadam virum præparat dicere: aut etiam ille quidem dixit nihil, testes autem redempti hoc mentiuntur) sed oportet contestationem<sup>5</sup> in literis esse. Si autem etiam in iudicio eam aliquis forte facere voluerit, oportet omnino innotescere mulieri, aut ei qui dotem omnino offerre conscripsit; nam nihil est quod prohibeat maritum in semetipsum hoc agere, et queri, et quasi partem quidem mulieris quod agitur, ignorare: providentiam vero sui etiam ponere nullo valere modo: et quia vel ab eo querela facta est, nescire.

## CAP. II.

Generaliter<sup>6</sup> igitur dicendum est, intra biennium quidem matrimonio soluto sive morte, sive repudio, et ipsi marito, de non numerata pecunia licere queri et heredi ejus intra alium annum. Si vero ultra biennium usque ad decem annos matrimonium extendatur, marito damus querelam et heredi ejus intra menses tres. Si vero transcurrerit decennium: tunc neque marito, neque hereditibus ejus querela erit, tempore ad omnia sufficientem mulieri. Et si quidem intra ætatem maritus sit, et non queratur: tantum ad in integrum restitutionem ei damus tempus, ut non transcendat duodecim annos a tempore nuptiarum. Novimus enim eos qui vehementer citius contrahunt nuptias, non<sup>7</sup> minus quidecim annorum ad

Tit. I. — 1. N. 2, c. 5. — 2. Adde Lib. 5, C. 15. — 3. L. ult. C. de dote cauta. — 4. Authent. Hanc autem, C. de non numerata pecun. — 5. L. 14, § 2, C. d. l. — 6. Authent. Si minor C. de tempor. in integr. restitut. Authent. Quod locum, C. de dote cauta non numer. — 7. N. Leon. 74, in fin.

hoc procedentes; qua de re transit quintum et vicesimum annum: et erit possibile intra vicesimum septimum annum queri de non numerata pecunia dotis: moriente quoque eo intra prædictum tempus, heredes habere annum ad querelam. — § 1. Si autem minores sint non querentis heredes, sive majoris, sive minoris: quinquennium habeant solummodo ad movendam querelam non numeratæ pecuniæ, sufficiente tempore, et non expectante exitum omnium minorum temporum: quod nos ad præsentem legem movit; muliere namque conjuncta quarto et decimo anno post vicesimum annum mortis patris, abutens minori ætate, movebat quidem contra matrem non numeratæ pecuniæ objiciens rationem post quartum et vicesimum nuptiarum annum, quod nos judicantes curavimus: et propter has circumstantias, et ætatem minorum in quinquennium in præsentem decernimus lege, illo videlicet non numeratam pecuniam objiciente, qui scriptus fuerit dotem suscepisse, et secundum sua tempora, sive perfectæ ætatis sit, sive minoris causa judicanda. Valente hac lege super iis quæ postea futura sunt nuptiis: super iis enim quæ constant, siquidem residuum est decennium aut non minus biennio, hoc habeat tempus in non numerata pecunia, quod ei etiam post transmissionem dabit. Si vero aut minus ei biennio reliquum est tempus, aut etiam excessit totum decennii tempus: tunc ipsi quidem biennium damus ad querelam non numeratæ pecuniæ: eorum autem heredibus, et post solutionem matrimonii intra tres menses: ut per omnia eis justitiam servemus.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo effectui et fini contradere festinet. — Dat. 15 kal. Jan. CP., DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, ANOISE V. C. COSS.

## TIT. II.

## DE DONATIONIBUS A CURIALIBUS FACTIS, SIVE AB INTESTATO VEL TESTAMENTO, EORUM SUCCESSORIBUS.

## NOVELLA CONSTIT. CI.

Imp. JUST. AUG. Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

## PREFATIO.

Bonæ nobis sanctionis occasionem interpellatio quorundam curialium dedit. Et hanc legem facimus non ad quosdam curiales, sed ad omnes qui nobis obediunt: dicimus autem quantum quidem ad Orientem est, et quantum Occidens sol respicit, et quantum ex utrisque lateribus est. Quoniam enim sollicitudo fuit eis qui ante nos fuerunt de curialibus et de collationibus in curias, quidam autem sunt qui trahuntur ad curiam, quidam vero liberantur, illud sancimus licentiam esse curialibus non solum ejusdem civitatis curiales heredes instituere, (hoc enim hactenus licitum fuit) sed etiam quosdam liberos a curia, si voluerint instituere heredes, hoc agere sub hac videlicet conditione ut offerat modis omnibus se heres, sive heredes conditione curiæ defuncti, id est, ex qua ille progressus est, et curialis sit particeps functionis, et hereditatem nullo impediendo percipiat. Scientes enim quia hæc res erit in præsentem correctio, quoniam nunc quidem adjicitur curiæ ex istis modis in pecunia utilitas, ex futura vero legislatione, et curialis, et substantia proficiet, et florebit curia corporibus pluribus et substantias habebit eorum.

## CAP. I.

Propterea sancimus licentiam esse eis qui curiales sunt, dum testamenta condent, uti heredibus sive curialibus ejusdem civitatis voluerint (hoc lege permittentes) sive quibusvis ex suo genere, sive extraneis: sive curiales fuerint, sive non, sive in portionem non minus novem unciarum, vel certe in integram, dantibus se tamen curiæ et unitis ejus corpori et expletibus inculpabiliter functiones. Hoc valente circa ipsos filios et nepotes et residuos successores; non tamen secundum modum, secundum quem ante paululum constitutio promulgata circa eos, qui se curiæ offerunt, præceperat prolem eorum, qui se obtulerunt ad conditionem non trahens, sed tanquam si ab initio fuissent constituti curiales, ita et ipsi cum propria prole curiæ uniti et albo et corpori. Neque enim quicquam differt, aut eum qui est curialis ejusdem civitatis scribere heredem; aut eum qui mox erit.

TIT. II. — 1. Adde N. 69, c. 2, 4.

## CAP. II.

Sed et si quis consanguineus curialis existens, vel aliter ab eadem conditione liber ad successionem curialis defuncti fuerit vocatus tanquam ejus qui non scripserit testamentum, voluerit autem et ille seipsum dare curiæ, licere ipsi hoc agere, et suam voluntatem in actis indicare intra menses sex: et pariter curialem cum suis successoribus atque substantia pariter, et fieri heredem: nihil omnino ex eadem substantia expectando occasione quartæ portionis seu novem unciarum, semel eo qui successerit in hereditatem aut curiali existente, aut mox extituro, et re ac substantia rursus ad curiam veniente. Sed et si quis donaverit res propriæ facultatis, aut multas, aut omnino non minus novem unciarum vel curialis ejusdem civitatis existenti, vel alii cuidam, offerens tamen se et propriam substantiam atque prolem sive quæ est, sive quæ erit, et residuum successionem curiæ, cuius est qui donationem fecit, sancimus valere factam sub hac conditione largitatem; omnimodo enim nobis studii dignum est videre, ut nullo modo substantiæ curialium alienentur a curia illius civitatis cujus sunt curiales.

## CAP. III.

Ut autem non ad collusionem hæc fieri videantur, et quidam domini effecti hereditatem curialium aut per donationes, aut per testamentum, (secundum quod prædiximus) aut ab intestato deferantur, et propter hanc oblationem, et rebus quidem frui velint, oblationem autem suam non faciant: sancimus si quidem per donationem, hoc quod prædictum est, dederit, non prius traditionem fieri rerum, sed hoc manere apud donatorem, donec is qui donationem acceperit, inter gesta confecta apud judicem provinciæ, gratis et citra omnem dationem secundum prædictum modum, datus fuerit curiæ, et mox conscriptus albo, tunc enim etiam res ei dari volumus. Quod si donator tradiderit res, et necdum confessione facta quæ accipientem societ curiæ, etiam sic defendi quæ donata sunt curiæ, usque ad novem uncias, in quibus omnino vocari curiam censemus. — § 1. Quod si ex testamento, aut per vocationem legis, qui non est curialis, ad successionem perveniat curialis, tunc mox a morte curialis concurrere curiam, et una cum defensore civitatis, præter lesionem futuram rerum defuncti, descriptionem fieri rerum præsentem etiam eo qui ad hæc vocatur, et res tradi curiæ sub facto signaculo tam defensoris quam Deo amatoris episcopi, et dum prædicta actio gestorum facta fuerit apud judicem provinciæ, et data fuerit curiæ, secundum quod frequenter dictum est, cum substantia, et prole quæ est et quæ fuerit, tunc eum, et res percipere et esse eum dominum secundum quod et prior ille curialis fuit, nihil ab eo differre visus. His gestis sine dubio apud judicem provinciæ habitis præter omne lucrum et dispendium. Neque enim ad illusionem vel ad dispendium curiæ, sed ad utilitatem hanc proferimus sanctionem, ut in perpetuum valeat, augens et corporibus et pecuniis curialium facultates, atque substantias. Si vero is qui ab intestato vocatur curialis heres, non tamen existens et ipse curialis, noluerit adire et se dare curiæ, curia quidem teneat novem uncias, tantummodo autem ipse dominus efficiatur trium unciarum, quas ei dat et anterior lex vel si non fuerit curialis. Quod si plures fuerint ejusdem gradus qui vocantur ad curialis hereditatem, et quidam dederint se, quidam recusaverint, novem quidem uncias accipere eum vel eos qui se dederint curiæ, tres autem uncias residuos, qui ex lege vocantur, accipere heredes. Studium enim nobis est omnimodo novem uncias ad curiales ejusdem civitatis pervenire.

## CAP. IV.

Si autem defunctus fuerit quidam superstitis filia, si nupta quidem fuerit curiali ejusdem civitatis, dubiam non est, quin præter calumniam habeat paternas res, aut in integro, aut omnimodo novem uncias, si forte ad alium quendam pater voluerit tres uncias pervenire: sed et si non ab initio existenti curiali nupta fuerit, accesserit autem quidam ad ejus nuptias, volens eam ad hoc accipere, ut sit curialis et dare se curiæ, et stabiles ei nuptiæ fuerint: etiam sic habere novem uncias sine calumnia occasione bonæ curiam voluntates: et qui curialis offertur rebus et gubernabit eas, propter quod et omnimodo mulieri dari eas volumus. Quod si plures fuerint filiæ, et quedam ex his nuptæ fuerint curialibus aut existentibus aut per oblationem factis, novem uncias quidem inter eas dividendæ sunt: ad residuas autem tres uncias quidem venient, illi autem qui uxores eas acceperint, usuri sunt rebus ipsis ad curiales causas, licet in dominio sint uxoris; propterea enim eis dedimus res patris, ut exinde conjuges earum impleant curiæ functiones. Quod si contigerit deficere eam quæ nupta fuerit illi, qui se curiæ tradidit, si quidem filios masculos de eo habuerit, apud filios erunt res, et ipsi erunt

in curia, et nulla tergiversatione res indigebit. — § 1. Quod si femina fuerint quæ nata sunt, et si ipse quibusdam nuptæ fuerint, aut curialibus ejusdem civitatis, aut qui se ipsos dederint curiæ ejusdem civitatis, similiter et ipse eas habebunt sine ulla molestia, subjectas curiæ functionibus per proprios viros. Quod si non nuptæ fuerint, curialibus, aut qui sunt aut fuerint, tunc secundum datam olim divisionem, nuptæ quidem curialibus novem uncias habebunt, propter quas functiones curiæ compleantur, residuis autem sufficientes tres uncias. Quod si neque masculi neque feminae eis erunt, quousque vir superest, habeat earum usum, explens in eis curiæ functiones, et si quidem ad secundas venerit nuptias et filiorum fuerit effectus pater masculorum seu feminarum, et has conjunxerit curialibus, rursus similiter curiæ servabuntur corpori: quod si mortuus fuerit aut ad secundas nuptias non venerit, aut filias non procreans, eas non sociaverit curialibus vel qui sunt vel qui fuerint, tunc recto ordine curia has res accipiet, neque enim unquam hanc partem curialium copiarum et functionum alienari concedimus: vel si ad plurimos reductum fuerit genus successionis, quatenus per omnes, hac linea descendentes, sive per masculos liberos curialium, sive per generos dantes se curiis, novem uncias curiæ salvæ sint. Quam legem valere volumus in omni deinceps tempore, et in causis adhuc etiam nunc pendentibus, et quæ consecutæ non sunt judiciali sententia aut amicabili interventu absolutionem.

## EPILOGUS.

Quæ igitur visa nobis sunt, et hac sacra lege declarata, tua excellentia custodire festinet, maxime omnium utilitatis publicæ providentiam omnem faciens. — Dat. kal. aprilis CP., DN. JUSTIN. P. P. Aug., ANOISE V. C. COSS.

## TIT. III.

## DE MODERATORE ARABÆ.

## NOVELLA CONSTIT. CII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

## PREFATIO.

Cum plerosque alios provinciarum magistratus ad meliorem jam formam traduximus, qui humiles abjectique prius existentes, neque ulli rei convenienter agenda idonei, postquam in ampliorem constituimus ordinem, et valentiores per omnia facti sunt, et ita rerum administrationem capessere cœperunt ut universa in melius commutarentur: tum vero a nobis etiam proconsules et prætores, et moderatores, et veterum horum nominum amplitudo inventa est, auctæque ipsis annonæ, et summa potestas data, et ante omnia interdictum illis fuit, ne perniciem inferant subditis, et multis ad ipsos diripiendos utantur manibus, juramentis quoque rem munivimus omnium horrendissimis: neque aliter eis officia tradimus, quam præstitis juramentis, ita codicillis magistratus digni sunt habiti. Convertimus igitur et ad Arabum regionem oculos, et requisita causa, quamobrem et publicum laboret inopia, quamquam regio florentissima sit, et tam magnus nos interpellantium numerus iis locis excedat, et omnes lamententur, alii furta et rapinas, alii injurias, alii alia damna in querelam deferentes: occasionem et causam hujus mali ex imbecillitate et impotentia eorum qui magistratum ibi gerunt, provenire deprehendimus. Erat ita enim tenui potestate præditus is qui civili magistratu defungebatur, ut ei qui præesset armis, servili propemodum more manciparetur, et in illius arbitrio hujus salus esset posita, aut ut ne esset quidem omnino hic magistratus. Inde adeo et longum tempus est, ex quo is desiderit, et militaris ea quæ civilem magistratum concernunt, peragat. Cum tamen neque sibi, neque ipsi per omnia sufficiat. In hoc enim est, non ut utilitatem aliquam subditis adferat, sed ut utrinque lucrum capiat.

## CAP. I.

Hæc nos ad suscipiendum præsens consilium excitarunt: et præsentem utentes lege, magistratum ad pulchriorem formam transponimus, benigneque et ipsi moderatoris appellationem largimur, (id quod etiam in Ponto fecimus) et spectabilium magistratum jus concedimus, ut in nullo sit Duciano inferior. Sed et publicis exactionibus cum summa vehementia adhaerescito, adhaerescito etiam privatorum utilitati, neque com-

TIT. III. — 1. N. 18. — 2. N. 8, tit. 3.

mittito, ut vel spectabilis dux, vel tribunus, vel aliqua potentiorum domum, vel etiam sacrum patrimonium, vel sacra nostra res privata, vel ipsa sacra nostra domus, quaecumque subditis nostris damnum irroget: neque facile succumbito, neque formidinem contrahito: sed viriliter subditis præito, et ante omnia Deo pariter ac nobis, et legi puras conservato manus; si quidem iisdem juramentis et hunc submitti volumus, quibus et ceteros magistratus submisimus. Deinde cum codicillis percipito etiam imperialia mandata: quæ tam ante nos legumatores, quam vetus illa reipublicæ forma novit, et nos cum pene obsolevisset, denuo reparavimus, et in rempublicam reduximus: ut ea semper adhibeat veluti in colloquium, et jussiones nostras custodiat. Nam si illas sane secutus fuerit, non est causa, quamobrem non omnia illi præclare et ex animi sententia occurrant, et legum beneficio ad summam ipse in rebus gerendis facilitatem et justam facultatem perveniat.

## CAP. II.

Principio igitur (ut diximus) studio sit illi publicorum tributorum exactio, devotis quidem humano paternoque se affectu exhibens, inde votis vero vehementem et severum. Deinde curam geret etiam reipublicæ, et ut recte in ea atque ordine omnia fiant, neve tumultibus et ne seditionibus dediti sint vel Bostreni, vel alii, et quæ a vetustate permessa sunt ad delectationem, ea convertant in furorem et cædes. Habebit item secundum mandata nostra dicto suo audientes milites (siquidem et hoc inde licebit desumere) neque ullam omnino rem negliget quæ commoditatem aliquam in se habeat. Quemadmodum enim in Ponto cum Moderatore egimus, ita et ipsum per eadem ejus magistratus vestigia ingredi facimus. Eritque et ipse spectabilis, et consimiliter cum alia multa, tum etiam ea quæ appellationes concernunt, administrabit. Sed neque ad modum prioris, duntaxat solatii resistemus. Volumus enim, ut ipse quidem per causam annonarum et reliqui solatii percipiat quidecim auri libras, adessor vero ejus magistratus duas libras, et cohors ejus novem auri libras habeat. Et quamquam (ut diximus) ex imperialibus mandatis jam etiam militibus præstet: erit tamen vobis curæ, ut nonnullos illic stativa agentes militares numeros et ei subdamus qui in hos magistratum gerit, ut illi soli obediant, ejusque formulis ac præscriptis cedant et obtemperant. Non igitur communionem omnino habebit aliquam spectabilis dux, neque cum militibus quos expresse huic assignabimus, neque cum pagano aliquo, neque cum illorum litibus, si quas inter se habent: neque si paganorum aliquis in jus producat. Nullum denique habeat cum paganicis causis commercium: quandoquidem magnum in medio intervallum est inter civilem et militarem administrationem: discernunturque ea inter se, quemadmodum patres nostri in republica ista ordinarunt et instituerunt, scituro spectabili duce, quod si rebus se civilibus immittere ausit: neque militaria retinebit, sed et illis spoliatus privatum aget, et hujus magistratus imperio subditus erit.

## CAP. III.

Atque hæc nobis item de magistratu regionis Arabiæ sancta sunt Persuasum enim habemus voluntate Dei, quod ea res ad melius profectura sit. Ex quo enim neque pecuniis pepercimus, et annonas illi auximus, inde adeo certo scimus, quod et is qui hunc magistratum gerit, talem se circa vere publicorum tributorum exactiones præbere studebat, ut non damnum exinde, sed justum lucrum fisco adducat. Illud sane fieri obtinereque volumus, ut spectabilis dux inde annonas suas percipiat, unde provinciæ præses jusserit, cum manifestarium sit, non cum tanta eum ignavia his rebus admoturum animum, ut suas ipse annonas exigere nequeat: sciens, quod si quis hæc contra fecerit, quidecim librarum auri poena multabitur. — Datum 6 kalend. Jun. CP., DN. BELIS. V. C. COSS.

## TIT. IV.

## DE PROCONSULE PALESTINÆ.

## NOVELLA CONSTIT. CIII.

Scripta Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto iterum exconsuli ordinario, et patricio.

## PREFATIO.

Jam quidem et alios gentium præsidatus majores reddidimus, qui prius humiles pariter erant, et ad aliquid fortiter agendum impotentes: et tam inter spectabiles ipsos constituimus, quam etiam annonas ipsis, adessoribusque et cohorti auximus: et inter alia omnia, quæ benigne illis elargiti